

VERSION LATINE

Un ambassadeur de la ville de Locres (Italie du Sud), alors alliée de Rome dans la guerre contre Hannibal, se plaint auprès du Sénat des exactions du légat Pléminius (204 av. J. C.).

« Q. Pleminius legatus missus est cum praesidio ad recuperandos a Carthaginiensibus Locros et cum eodem ibi relictus est praesidio. In hoc legato uestro – dant enim animum ad loquendum libere ultimae miseriae – nec hominis quicquam est, Patres Conscripti, praeter figuram et speciem, neque Romani ciuis praeter habitum uestitumque et sonum Latinae linguae : pestis ac belua immanis, quales fretum quondam quo ab Sicilia diuidimur ad perniciem nauigantium circumsedisse fabulae ferunt. Ac si scelus libidinemque et auaritiam solus ipse exercere in socios uestros satis haberet, unam profundam quidem uoraginem tamen patientia nostra expleremus ; nunc omnes centuriones militesque uestros – adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse uoluit – Pleminios fecit. Omnes rapiunt, spoliant, uerberant, uulnerant, occidunt, constuprant matronas, uirgines, ingenuos raptos ex complexu parentium. Cottidie capitur urbs nostra, cottidie diripitur ; dies noctesque omnia passim mulierum puerorumque qui rapiuntur atque asportantur ploratibus sonant.

Miretur qui sciatur, quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos qui faciunt nondum tantarum iniuriarum satietas ceperit. Neque ego exsequi possum nec uobis operae est audire singula quae passi sumus : communiter omnia amplectar. Nego domum ullam Locris, nego quemquam hominem expertem iniuriaes esse ; nego ullum genus sceleris, libidinis, auaritiae superesse quod in ullo qui pati potuerit praetermissum sit. »

Tite-Live, *Histoire romaine*